

140

ACTUM ORATORIUM,

14

LYCEO TORGENSI

d. 25. Septembr. XCIV.

habendum,

NOBILISSIMOS ATQUE HONORATISSIMOS
DOMINOS MUSARUM
PATRONOS, FAUTORES ATQUE
AMICOS,

Ea, qva par est, Observantia invitat

M. GODOFREDUS Steinbrecher, Rector ibid.

TORG 4

Typis JOHANN. ZACH. HEMPI.



Rudentiæ laudem haud mereri

ultimam, qvi, qvicqvid agit, cautè agit & circumspete: extra dubitationis aleam positum esse omnem, omnes, mente nisi capti, fatebuntur. Cui ignotum est omnibus encomiis dignissimum, qvod freqvens in ore laudatissimi Ducis Brunsvicensium & Lünæburgensium, AUGUSTI, gloriosissimæ memoriæ fuisse dicitur Symbolum: *Alles mit Gedacht.* Qvod Ipsi beatissima Serenitas mutuò accepisse videtur ab Imperatore Romano, qvò quantò minor Imperio, tantò major fuit fidei, quam Christiani profitemur, encomio, scil. AUGUSTO, Principe itidem laudatissimo, qui prudentem cunctationem nulli non, aure qvasi vulsa, commendaturus, hoc suum fecit Symbolum: *FESTINA LENTE*, dignissimum sàne, judicio celeberrimi Adagiographi Erasmi, qvod omnibus incidatur columnis, Templorum & Scholarum inscribatur foribus & aularum valvis, dignissimum, qvod insculpatur annulis, ut cujusqve obversetur animo, occurrat oculis, nulli non mortalium maximo futurum usui. Cui respondeat Imperatoris L. V E R I Symbolum: *NIHIL OBITER*, qvò Ipso Ipse quemlibet, cuius ille cunqve sit fortis, sit ordinis, adhortaturus, ut res, qvas suscipit, omnes cum prudenti agat morâ, cum cura agat solicita catoqve consilio, atq; in longitudinem consulendo, futura respiciat: cum istud, scitu Comici, sit lapere, non qvod ante pedes modo est, videre, sed qvæ etiam futura sunt, prospicere. Profectò si Alexander M. id recta secum via reputasset & consilio precibusqve Amicorum, rogantium, ut liberiore Clyti sermone inter pocula offensus, exitum respiceret, paruisset, vitæ suæ Servatorem non occidisset. Ita nec plebs Amstelodami furibunda, dato iracundiæ spatio, in JOHANNEM de WITTE Pensionarium, ejusqve fratrem CORNELIUM de WITTE Exconsulem, potentes ditesqve viros perfidiæ quidem suspectos, non tamen convictos, anno 1672. crudeliùs consuluisset: siqvidem irruptione in carcerem, qvo ipsi continebantur, factâ, opinione vel errore suo fontes protraxit, crudelissime trucidavit, trucidatos ab infami furca suspendit, laceravit, & ventre resciutto, cor & viscera distulit, digitos, nares auresqve abscissas pretio vendidit, nonnulli in eam acti rabiem fuisse dicuntur, ut carnem aslam devoraverint,

teste

teste TZCHIMMERO in Auct. Sleid. Qvapropter, cum Theodosius Imperator non illaudatus, irâ, æqvò ardenter in Thesalonicenses incensus, septem horum millia interfici jussisset, à sacris publicis remotus ab Ambrosio, publica sancivit lege:
ut publica judicia & capitalium causarum pœne in trigesimum usque diem differrentur.
Sic & Cujacius, nobilis ille JCTus, propositas in Jure dubitationes in alium rejecit diem, addita hac ratione: *Se nolle auctoritatem tot annis in jure acquisitam, una calida & festinata responsione in discrimen adducere*, teste Erasm. l. 6. Apoph. Sanè si Flacius, Professor ille Jenensis, non vulgaris eruditionis, eruditionem suam in Theologia tot annis partam in consilium adhibuisset, nec minùs cogitatè negasset: peccatum esse Accidens, in errorem absurdissimum prolapsus non fuisset. Quemadmodum itaqve multi multa faciunt temeritate quadam sine judicio, dicente Tullio: ita magnus Magni Alexandri animus tantum non ad cœlum effertur, at longè alia de illo sententia est prudentissimi Senecæ, eundem appellantis vesanum adolescentem, cui pro virtute felix fuerit temeritas. Sanioris sanè mentis fuit Q Maximus Fabius, cui cata nec infelix Cunctatio CUNCTATORIS Agnomen peperit. Cum enim Hannibal ~~ā~~ ^ā ~~ā~~ ^ā ille Nominis Romani hostis, Italiam mirè vexaret, laceraret, &, ipso tribus maximis præliis victore, imperii Romani Majestas in præcipiti stare videretur jamjam ruitura: unus ille, ut Ennius Poëta dixit, cunctando rem Romanam restituit. Relatu digna est oratio, apud Livium qvæ legitur. Cum enim Paulus Flaminius & Varro consules urbe jam essent egressuri, copiasqve ingenti sumtu curaq; coactas adversus Hannibalem educturi, & Varro, homo præceps & temerarius, hoste se viso, illicò cum eo, collatis signis, dimicaturum esse dixisset: Flaminium Fabius gravissimè hortatus est, ut Collegæ temeritati, sibi populoqve Romano perniciem non dubiam attracturæ, masculè resisteret & adversus famam rumoresqve hominum firmus staret, sine, inquiens, timidum te pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vocent, malo te sapiens hostis metuat, qvām stulti cives laudent.

Qvamvis autem uti in aliis, ita in bello, in quo bis peccare non licet, Imperator caute ac cunctanter agat, ne, re male gestâ, ipsi dicendum sit: *non putaram*, monito Tullii l. 1. Ost. Cap. m. 23. uti Scipio Africanus Major dixisse fertur: *Turpe in re militari dicere non putaram; ea, tamen cunctatio, cuius genitrix est socordia pectorisque angustia,* minimè probanda est. Nisi enim e. g. miles, hoste adventante, principiis obstat, sed occasionem rei bene gerendæ deliberando, cunctando
præter-

prætermittit, & hoste præventus oppressusque tum demum armā capessit: habitu triumphali armatus, via sacra nequaquam petet Capitolium, quod sane petierit, si Axioma, tempore belli à Julio Cæsare observatum, sibi dictum putaret: *Magna consilia non diu deliberanda, sed e xequenda sunt.* Quo nomine C. Tacitus l. i. Annal. Pompejum laudat: *quod festinato prelio vitoriam hosti præripuerit.* Nam quām facile est occasiones amittere, dicto Plinii, tam difficile easdem adipisci. Sic & in aliis rebus non paucos peccare in proclivi est. Certè Chirurgus, qui nimis cautus timidusque, lethifero vulneri curando remedia applicare vel & ense resecare, pars ne trahatur sincera, diu deliberat dubitatve, sauciæ ægrique vitam vitae exponet periculo. Ita qui alios consilio aut solatio juvare rogatus, consilia, solatia suspendit diuqve nimis deliberat, cum tamen plurimum possit à consilio, nec lingua ad fundenda solatia inepta sit, non tam cautus, quām officii proditor sui audit. Quemadmodum igitur sub virtutum specie atque obtentū plerique sua fovent cœlantque virtus: ita non paucis prudentia cauta est, si negotia sub manu quæ hærent hodieque agenda sunt, in diem differunt, è quorum grege numeroque eos in primis esse deprehendimus, qui studiis humanioribus addicti diu deliberant, consultant, an hoc & illud studium in Scholis classicis sit tractandum, aut, ipsi tractando opinione se sua impares judicantes, in Academiam differeendum; atq; ita lectionis & scriptionis dilationi æquō plus indulgentes, nil nisi suam produnt segnitiem. Quibus probè observatis Cl. Weizius Præceptor olim in Gymnasio Hallensi meritissimus, discipulos suos ita hortari consuevit: Dilationem ac procrastinationem pernicioſissimam ingeniorum pestem, studiorum ruinam, naufragium literarum fundiqve scholastici calamitatem, profectuum fructum omnem dissipantem, explodite, unus dies intermissus aut dilatus perturbat omnia, seriem lectionis interrumpit &c. Quare cùm alii quidem regiam mediocritatis viam observantes, caute & cunctanter, quicquid agunt, agunt, alii non, ac proinde vel encomio digni, vel vituperio, vel meliora monendi: tres ex ordine Discentium juvenes, susceptâ dicendi provinciâ, in scenam ipsos producent; & quidem

I. GOTTOFREDUS Stein / Guben. Lusatus
encomio dignos dicet, qui prudenter cauteq; temporis inservientes nihil, vel nimium cunctando, vel se præcipitando, agunt. Ut contrâ

II. JOH. JACOBUS PAUCKISCHIUS, Kreischen. Misn.
taxat secus facientes, & denique

III. CHRISTIAN. Gottlieb Beiche / Damensis Saxo,
digrediendo ad Commilitones, ipsos monet ut rerum suarum sat acturi, temporis rationem habeant, nec studia sua vel obiter tractando, vel procrastinando, occasionem rei bene gerendæ prætermittant, quibus ipse dictis, Lycéo huic valedicturus, subjunget Gratias, Deo ac Patronis agendas. Quamvis autem ipsa, qua de triga perorantium dictura est, materia, quippe non passim obvia nec auditu injucunda, studiosam juventutem ad studia alacrius excolenda excitaverit; Auditorum tamen O. O. H. Auctoritas quin majus additura sit calcar, nulli dubitamus. Hunc itaque Actum Oratorium honorifica sua benevolaque Atudentiâ ipsi ne dedignentur, obnoxissime officiosissimeq; obtestamur Scrib. Torgæ VII. Cal. Octobr. Anno Q. R. clo loc XCIV.

78 M 437



TA 706

Kein Rest.

nur 51. Stav verknüpft bisher

X

WPA

7
iudem hunc mense sicut huius
anno 1536 ius summae iuris tenuisse
et hoc anno 1537 ius summae iuris
tenuisse.

B.I.G.

Black

3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

Farbkarte #13

AD
ORATORIUM,
 IN
 E O TORGensi
 s. Septembr. XCIV.
 habendum,
 S ATQVE HONORATISSIMOS
OS MUSARUM
 S, FAUTORES ATQVE
 AMICOS,
 qva par est, Observantia
 invitat
FREDUS Steinbrecher
 Rector ibid.

TORGÆ,
 JOHANN. ZACH. HEMPI.